

Novilunii veri tempore adde 27. horas cum dimidia, habebis juxta Scripturarios tempus, circa quod necessario Luna videri debet seu, quod idem est prima Phasis apparet.

§. XIV. Et nunc quidem obscurum amplius esse nequit trajectionis, quod quærebamus, momentum. Datur enim in Sacris dies exitus Israelis ex Ægypto, dantur eorum in itinere mansiones circumstantiis sat evidentibus signa, quibus cognitis, quid ulterius desiderari possit, non video. Dies egressus, docente Scriptura *Exod. XII, 28. seqq.* erat a Paschate celebrato primus, & *Numer. XXXII, 3. decimus quintus mensis Primi* dicitur, ducto scilicet vel a medio Novilunio, vel a prima Phase mensis initio. Vtrumcunque eligas, perinde nobis est: Si prius, Plenilunium hoc ipso die evenit, si posterius, proxime eundem antecessit, ceu præcedente §. docuimus.

§. XV. Mansiones itineris priusquam distincte enumeremus, notandum; Israelitas in via ista non peregrinantium more pedetentim incessisse, sed velut in fugam acti, iter quam maxime præcipitasse. Indicat hoc satis luculenter verbum *ברח*, quod, *Leighio* teste, *celeriter currendo abire ac festinare* significat, certe in loco præsentis tale progrediendi genus exprimit, unde colligere poterat Pharaon, non animum esse populo, factis in deserto sacris Ægyptum repetere, quod prius ipsi persuaserant, sed celeri fuga salutis suæ consulere. Non enim in Textu dicitur: *Et annunciatum Regi Ægyptiorum est, quod elapso triduo nondum redisset ex eremo populos; sed quod aufugeret, (כי ברח).* Alias circumstantias, quæ celeritatem hujus itineris arguunt, jam brevitatis causa omittimus. Nec est, quod quis objiciat, exercitum maxima parte pedestrem & mulieribus, liberis, gregibusque onustum, velocitatem istam non tulisse. Quidni enim qui (sæventibus τοῖς ἐξ ἐναντίας) eodem

Exod. XIV.  
v. 5.  
Critic. S. p.  
m. 26.